



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXIX. Gregorii Papae I. Ad Secvndinvm. De pace Agilulphi, & Mariniano episcopo increpando, quod eleemosynam pauperibus non daret, sine qua vacuum est episcopi nomen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

terminatione compesce; quatenus monachis illic degentibus, libere in Dei nostri laudibus liceat exultare. Romanum vero atque Dominicum clericos, qui de hac vrbe ausu temerario sine nostra præsumpserunt benedictione discedere, licet maiori fuerant ultione plectendi, tamen relaxari eis benignitatis studio debet, vt ad suum remeare officium vrgeantur.

Suprascripto mense Aprili, indictione decimaquarta.

EPISTOLA XXIX.
GREGORII PAPÆ I.
AD SECVNDINVM.

De pace Agilulphi, & Mariniano episcopo increpando,
quod eleemosynam pauperibus non daret, sine qua
vacuum est episcopi nomen.

Gregorius Secundino seruo Dei non a paribus.

POST QUAM reuertens Castorius omnia nobis quæ inter vos & Agilulphum regem acta sunt indicauit, ne excusationem contra nos de mora potuisset aliquis inuenire, sub omni eum celeritate illuc transmittendum præuidimus. Ab eo ergo quæ sunt agenda cognoscens, esto sollicitus, & omnimodo immine, vt pax ista debeat ordinari; quia, quantum dicitur, aliqui hoc impedire conantur. Pro qua re festina solcite agere, vt labor vester sine effectu non valeat remanere. Nam iam & partes istæ, & diuersæ insulæ in graui sunt periculo positæ. Fratrem nostrum Marinianum episcopum verbis quibus vales excita, quia obdormisse eum suspicor. Nam venerunt quidam ad me, in quibus erant senes mendicantes, qui a me discussi sunt, a quibus quid acceperint, & per singula retulerunt quanta eis & a quibus in itinere data sint. Quos dum solcite de prædicto fratre requirerē quid eis dedisset, responderunt se eum rogasse, sed ab eo se omnino nihil accepisse, ita vt neque panem in via acceperint, cum dare omnibus illi ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respondit nobis, dicens: Non habeo quod vobis dare possim. Et miror si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare non habet. Dic ergo ei, vt

Concil. Tom. 13.

Qq9 ij

cum loco mutet & mentem. Non sibi credat solam lectionem & orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu minime fructificare: sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurret, alienam inopiam suam credat; quia si hæc non habet, vacuum episcopi nomen tenet. Quædã vero eum per epistolam meam de anima sua admonui, sed nihil mihi omnino respondit: vnde credo quia eam neque legere dignatus est. Pro qua re iam necessarium non fuit vt eum per epistolam meam admonere aliquid debuissẽ; sed tantum illa scripsi quæ in causis terrenis consiliarius dictare potui. Nam ego ad hominem non legentem fatigari in dictatu non debui. Tua ergo dilectio secreto ei omnia loquatur, & admoneat qualiter se disponere debeat, ne per præsentem negligentiam vitam, quod absit, priorem perdat.

EPISTOLA XXX.

GREGORII PAPÆ I.

AD RAVERNATES.

Excommunicat quemdam, qui de nocte contestatorios libellos contra Castorium posuit.

Gregorius fratribus & coepiscopo, sacerdotibus, Leuitis, & omni populo Rauennæ.

QUIDAM maligni spiritus consilio repletus contra Castorium notariũ ac responsalem nostrum nocturno silentio in ciuitatis loco contestationem posuit in eius crimine loquentẽ, mihi que etiam de faciendã pace callide contradicentem. Et quia quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare; oportet vt publice exeat, & quæcumque in contestatione sua loqui præsumpsit ostendat: quod si non exierit, neque publice confessus fuerit, quisquis ille sit qui hoc agere præsumpsit, vel consensum in tantæ iniquitatis consilio præbuit, ex Dei & Domini nostri Iesu Christi Spiritu definimus, vt sancti eius corporis ac sanguinis participatione priuatus sit. Si vero quia latet, & quoniam nescitur, teneri a disciplina non valet, si tanti mali conscius etiam prohibitus corpus ac sanguinem Domini percipere præsumit, anathematis ultione percussus sit, & vt fallax ac pestifer a fan-